

Facta est Judæa sanctificatio ejus : Israel potestas ejus.

Mare vidit et fugit : Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes : et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi, mare quod fugisti : et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum ?

Montes - exultastis sicut arietes : et colles sicut agni ovium ?

A facie Domini mota est terrâ : à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum : et rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordiâ tuâ et veritate tua : ne quando dicant gentes : Ubi es Deus eorum ?

Deus autem noster in cælo omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulachra gentium argentum et aurum : opera manuum hominum.

Os habent et non loquentur : oculos habent et non videbunt.

Aures habent et non audient : nares labent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino : adjutor eorum et protector eorum est.